

Chap. I, v̄ 10. Quod si dixerimus quia non peccavimus, mendacem facimus eum, et verbum ejus non est in nobis (§ 6).

- Chap. II, v̄ 1. Filioli mei, haec scribo vobis, ut non peccetis. Et si quis peccaverit, advocatum habemus ad Patrem, Jesum Christum justum (§ 7);
- 2. et ipse propitiator est peccatorum nostrorum; non tantum nostrorum, sed et totius mundi (§ 7-8).
 - 3. Et in hoc cognoscimus eum, si mandata ejus servaverimus (§ 9).
 - 4. Qui dicit quia cognovit eum, et mandata ejus non servat, mendax est, et in hoc veritas non est (§ 9).
 - 5. Qui autem servaverit verbum ejus, vere in hoc perfecta est dilectio Dei. In hoc cognoscimus quia in ipso sumus, si in ipso perfecti fuerimus (§ 9).
 - 6. Qui dicit se in ipso manere, debet sicut ipse ambulavit et ipse ambulare (§ 9).
 - 7. Dilectissimi, non mandatum novum scribo vobis, sed mandatum vetus quod habebatis ab initio. Mandatum vetus est verbum quod audistis (§ 10).
 - 8. Iterum mandatum novum scribo vobis, quod est verum in ipso et in vobis : quia tenebrae transierunt, et lux vera jam lucet (§ 10).
 - 9. Qui dicit se esse in lumine, et fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc (§ 11).
 - 10. Qui diligit fratrem suum in lumine manet, et scandalum in eo non est (§ 12).
 - 11. Nam qui odit fratrem suum, in tenebris est, et in tenebris ambulat, et nescit quo eat : quoniam tenebrae excaecaverunt oculos ejus (§ 13).